Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. 1577

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ octavâ Martii, 1706.

M. CLAUDIO BOURDELIN, Sereniſſimæ Burgundionum Duciſſæ Medico perpetuò ordinario, Regiæ ſcientiarum Academiæ ſocio, Doctore Medico, Præſide.

In nutriendis ægris, eſtnè Conſuetudinis ratio habenda?

SECUNDÆ valetudinis & morborum communia præſidia ſunt, Cibus & Potio. Sanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis. Optimum morbi medicamentum eſt, cibus convenienter datus: opportuno tempore, juſtâ quantitate, apti generis, & qualitatis. Hæ res diſpenſandæ ſunt ex morbo, viribus, & conſuetudine; nec prætermittenda obſervatio Ætatis, Conſtitutionis corporis, Tempeſtatis, & Cœli. Iſta verò, quia ſedulitatem exigunt, negliguntur à multis. Ægrorum victum plerique ex ſuo more moderantur; qui parcè & duriter vivit, abſtinentiâ ægros macerat, dum alius, non niſi largiore & pleniore victu contentus, ſuis indulget. Næ ambo vehementes in utramque partem ſunt nimis, atque in commoda ægrotantium graviter peccant; graviùs in ſua ægrotantes, dum ſibi victûs normam temerè arrogant; ut enim quiſque adhuc valens avidior & intemperantior fuit, jam ægrotans urget propoſitum. Ipſa ſi cupiat ſalus, ſervare prorſus non poteſt tam intemperantes homines. Damnoſa hæc licentia ſi reprehendatur: ſtatim in aviditatis & intemperantiæ patrocinium, non merentis conſuetudinis accuſationem habent. Quaſi verò adeò prava paucorum dierum, paucorum menſium, vel ſaltem annorum conſuetudo, unde ſæpiùs ægrotarunt, ſervanda foret. Illius in nutriendis ægris habenda ratio, quæ gentilitia eſt, aut inveterata.

CONSUETUDO natura acquiſititia eſt; magna ejus vis. Conſueta jamdiu alimenta, etiamſi deteriora ſint, inſuetis melioribus, minùs moleſta ſolent eſſe. Id omnibus notum eſt, & quiſque plus ſatis expertus eſt. Similiter conſueti ſolitos labores ferre, quamvìs invalidi & ſenes ſint, inſuetis meliùs ferunt licèt robuſtioribus. Rationem ſubjicere ſi licet, hæc probabilis, & par utrimque videtur. Ut exercitia laborioſa alacriter ſuſtinet aſſuetus, quòd muſculorum, tendinum, ligamentorumque fibris, atque oſſibus eandem in partem reiterato ſæpius ſimili exercitio contractis, ſimiliter curvari deinceps pronum ſit: Sic conſuetum alimentum commodè concoquitur, id eſt, à ventriculo commoliente teritur, & in chylum liquatur. Hæc commolitio exercitium eſt fibrarum, quæ frequentibus contractionibus, iiſque ſimilibus pro ſimili alimento atterendo, facilitatem acquirunt ſeſe eodem modo contrahendi. Liquatum jam alimentum ſanguini, pari olim mechanicâ confecto, commiſcetur ſine tumultu f[illegible]le, & cum ipſo placidè decurrit. Quæ deinde decedere debent ex novo illo ſucco, facilè excernuntur, cùm molecularum priùs ſeparatarum Diametro reſpondeat ſeparandarum Diametros: Hæcque proinde vaſorum excipientium diametro; hinc expedita tranſmiſſio eſt. Quoniam ergo vetus in alimento conſuetudo naturæ vim obtinet, non immutanda; & ſi neceſſitas incidat, paulatim id faciendum, nec niſi corpore valente; dum enim ægrum, minùs tutum eſt.

COMMODIS nutrire ægros temporibus magni res eſt in arte momenti; indè enim morbus brevior & ſecurior redditur; periculoſior verò & longior, ſi alienis temporibus alimenta offerantur. Alimenti tempora deſignant morbus & conſuetudo. In acutis morbis rariùs alendus eſt æger, in longis ſæpiùs, quò mali longitudinem ſuſtinere poſſit. Acutorum initium abſtinentiam deſiderat, quæ Triduana, Quatriduanaque non ſit; vaſorum enim inanitiones ad extremum perducere periculoſum eſt. Plurimi falluntur, dum incipientem ſic ſe acutum ſublaturos ſperant; id interdum ſuccedere poteſt, ſed ſæpiſſime fallit. Acutorum initia aliud deſiderant: Pharmacum, Epaphæreſim, per quæ tutò tempore ſuo judicentur. Primo & ſecundo die rectè abſtineri poſſunt ab alimento hi, qui ex ſumma ſatietate huc prolapſi ſunt. Increſcente acuto non in adjectionem alimenti, ſed in detractionem procedere oportet; in vigore ſubtrahendum eſt, & in judicatione: Phylonis filia liberali hæmorrhagiâ liberabatur à morbo, ſed intempeſtivè cœnata mortua eſt. In paroxyſmis quoque febrium ſubtrahere oportet: & quicunque morbi per periodos exacerbantur, in eorum paroxyſmis ſubtrahere decet. Cæteris temporibus ſecuriùs datur alimentum: & inclinante vigore, & factâ judicatione, & finito paroxyſmo, aut decedente. Quædam tempora neceſſaria facit conſuetudo; bis, ter, aut pluries cibari qui aſſuevit in ſanitate, toties in morbo alendus eſt. Conſuetudinis iſtius mutatio & ſanum & ægrum lædit. Nihil tamen horum utique perpetuum eſt, nam quolibet tempore morbi, quolibet die, & ſæpius eodem die neceſſarium eſſe poteſt alimentum, ſi imbecillitas adſit aut timeatur.

OMNE curantis conſilium ad vires dirigi debet. Multùm intereſt ſcire, vires inopiâ, an onere deficiant; quia hæ abſtinentiam, illæ refectionem deſiderant. Difficilis interdum dignotio; ſimilitudines enim imponunt. Salutem tamen, aut mortem afferunt hæc cognita, aut ignorata. Nam maximum malum eſt, ſi ob dolorem vel aliam irritationem, vel acutiem morbi debilitato quis offerat potum, ſorbitionem copioſiorem vel cibum, putans ob vaſorum inanitionem debilitatum eſſe. Periculum etiam affert ob vaſorum inanitionem debilitatum non agnoſcere, & ratione victûs ulteriùs inanire; indecens eſt hic error, & ridiculus; ſi enim alius medicus, aut etiam plebejus acceſſerit, & cognoverit ea quæ acciderunt, & dederit cibum & potum, quem alter prohibuerit, manifeſtò videtur auxilium attuliſſe, & velut mortuum ſuſcitaſſe. Inanitus eſt æger, ubi præceſſit vigilia longior, fuſior alvus, inedia multorum dierum, immodicus ſanguinis fluxus, fames adeſt, arteriarum exigui imbecillique pulſus ſunt: pulſui tamen non omnia credere oportet, quem facilè mille res turbant. His in caſibus inanitum agnoſcere expeditum eſt. Verùm quædam ſunt corporum proprietates, unde alia aliis citiùs inaniuntur, quas detegere promptum non eſt; ad id aptior eſt medicus amicus, quàm extraneus. Igitur viribus exhauſtis protinus alimento ſuccurrendum eſt; his quantitas ejus definienda eſt, & morbo. Concedendum tamen eſt aliquid tempeſtati anni, regioni, ætati, & conſuetudini.

GENUS alimenti potulentum, ſorbile, & ſolidum eſt: Potus, ſorbitio, & cibus. Hæc exiguè, mediocriter, aut valenter nutriunt. Ad morbum, vires, & conſuetudinem accommodanda ſunt. Alias habent qualitates, unde aliud alii vel corpori, vel valetudini idoneum eſt. Acutis morbis potus & ſorbitio, cibus longis convenit; utrique hoc vel illo genere nonnunquam indigent. In acutis ſorbitionem ex oryzâ, hordeo, aut avenâ confectam juſculis carnium quidam præferunt, quoniam lenior venis commodiùs committitur, minùſque inæſtuat. Conſuetudinis causâ juſcula præponenda ſæpius ſunt; pro acuti motu imbecilla, aut valentia ſunto. Potulentis annumerantur aqua, ptiſana noſtras, apozema, lac, & vinum. Aquâ ſecuriùs & lætiùs in morbis humeſcunt aſſueti; frigida, glacie refrigerata, egelida pro conſuetudine concedenda eſt. In vigore acutorum largiùs hauſta morbum copioſo interdum ſudore digerit; in principio acutorum, & paroxyſmorum initio minùs utilis, quam, ore & faucibus requirentibus, interior pars non requirit. Quos offendit aqua, ptiſana vel apozemate utantur; ſitim bene placant, & ad alia proficua ſunt. Lac quorumdam longorum morborum alimentum eſt & medicamentum; febribus longis & tenuibus aptum eſt. Vinum in acutis non denegare cogit conſuetudo. In pectoris morbis ad promovendam ſurſum expurgationem dabat Hippocrates: Qui paulò deteriorem & cibum & potum, ſuaviorem tamen, melioribus quidem, ſed inſuavioribus, pronunciavit eſſe præferendum. Tanta vis ineſt in ipsâ conſuetudine!

Ergò in nutriendis ægris, Conſuetudinis ratio habenda.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Proponebat Pariſiis SALVATOR CLUSCARD, Albienſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1706.